



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Eucharistiam indignè accipie[n]s vt Christi faciem conspuat: cogitationes
item sordidæ quando Christi vultu[m] polluunt, praelatis cur debeatur
reuere[n]tia & obedientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

IESUS FACIE CONSPUITVR. *Artic. XXI.*Lucæ 22.
Marc. 14.

ET viri qui tenebant eum illudebant ei cædentes, Et cœperunt quidam eum conspuere.

HOMILIA XXI.

Consputio
faciei Iesu
quam fuerit
gravis.

Ingratitudo
Iudæorum.
Psal. 79.

Esaie 53.
Ibidem.

Postquam principes Iesum morti esse obnoxium damnauerant, ministri dominis suis placere gestiæntes, super innocentissimo Iesu, non aliter atq; super agno mansuetissimo, irruerunt: aded, vt quicquid in eum quisq; excogitare poterat, faceret. Primò itaq; in faciem Iesu expuerunt. Familiare Iudæis erat, quem maximè omnium vilem voluerunt haberi, expuere in faciem eius. In maximum igitur Iesu contemptum, conspuunt ipsius faciem. Nec leuis huiusmodi fuit consputio. Siquidem non sputa solum, sed phlegmata etiam putentissima in Christi faciem iniecerunt. Considera neminem aded esse stupidum, qui aliena non horreat phlegmata: quorum si tanta copia (quomodo Christo) eius faciei iniiceretur, vt pene suffocari posset, quid molestiæ sustineret ille? O quanta est horum ingratitude pessima: Christi faciem aded indigne tractantur, pro qua eorum partes tantopere clamantes ostendenda: *Ostende, inquit, nobis Domine faciem tuam, & salui erimus.* Hæc facies plena est gratiarum, hæc desiderata est cunctis gentibus: vt pote saluifica, amabilis, vitam dans atq; salutem omnibus. Et tamen aded hanc sputis deturpant impij, vt propheta prædixerit: *Vidimus eum, & non erat ei aspectus.* Item: *Non est ei species neque decor, &c.* Fuit autem hæc consputio vehementer Christo gravis, vt pote qui tenerrimam nobilissimamq; habebat complexionem cuiusmodi nunquam homo alius quicunq; habuit. Porro quo aliquid est nobilius siue tenerius, tanto etiam facilius & grauius læditur.

Eucharistiam indignè accipiens vt Christi faciem conspuat: cogitationes item sordidas quando Christi vultum polluant, prælatis cur debeatur reuerentia & obedientia.

Faciem Christi quis my-
sticè conspuat.
Eucharistiã
quis indignè
accipiat.

Cogitationes
sordidas
admittentes
Christo spu-
unt in facie.
Prælatis cur
debeatur re-
uerentia &
obedientia.

Admonemur in faciem Dei non spuere. Spuit in Christi faciem, qui quis sacram Eucharistiã indignus suscipere præsumit. Sumit autem indignus, quicunq; cum mortali peccato scienter corpus Christi sumpturus accedit. Sumit enim polluto ore, qui foetente & inquinata sumit conscientia, vt sunt omnes qui in mortali peccato vitam agunt, aut qui de mortali peccato non pœnitent, aut abstinere nolunt, aut restituere famam aut res alienas ablatis recusant, atq; nouissimè qui occasiones peccadi nolunt euitare, vt sunt qui in domibus suis concubinas secum tenent. Hi, inquam omnes, si ad Christi corpus sumendum vadunt, Christo in faciem spuunt.

Spuit item in faciem Christo, qui sordidis cogitationibus conscientiam suam, quam Deus inhabitare cupit, polluit. In hac enim Dei facies & imago relucet. Tertid, in faciem Christi spuit, qui suum prælatum contemnit, qui ei in faciem resistit, aut qui sacra scripturæ verba & monita deridet. Prælatis namq; & prædicatores sunt veluti os & vultus Domini, quia verba Christi enunciant: ided tanquam vicarijs Christi, reuerentia & obedientia illis debetur. Obserua quoque, quia supra dictum est, eos qui corda sua & conscientias suas

suas fœdis obscenisque cogitationibus inquinant, in faciem spuere Christi, intelligendum est, non eos tantum qui cogitant opera fœda, quæ perpetrare volunt aut optant, si possent, perficere: sed etiam qui de peccatis cogitant mortalibus, quæ nolunt opere (etiam si possent) patrare, delectantur tamen in peccatis cogitatis, & consentiunt ut in cordibus suis delectationes hæ cogitatarum rerum iniquarum versentur. Hi enim nihilo fecius peccant mortaliter: quia sponte & scienter consentiunt, ut affectus suus inclinetur, amicitiamque habeat cum mortali peccato, licet duntaxat cogitato. Secus est de ijs, qui imaginibus cogitationibusque obscenis inuiri inuoluuntur.

Cogitatio
obscena
quando fit
mortalis.

IESUS IN FACIEM EST CÆSUS. Artic. XXII.

ALII palmas in faciem eius dederunt.

Matth. 26.

HOMILIA XXII.

Palmas dare, est extensas manus seu alapas in faciem alicuius dare. Gratis est autem pena, quando quidem omnes sunt, sensus in facie hominis maximè Christo, qui nobilissimæ tenerrimæque (quæ facillimè lædebatur) fuit complexionis. Maior igitur est dolor cædi in faciem quàm cædi in col- lum aut humeros. Vnde verissimè est, Christi faciem ob maximam eius teneritudinem & verberum violentiam non potuisse cædi absque cruenta effusione sanguinis ex ore & naribus. Iudæi enim quærebant Christum replere doloribus. De hac iniuria Propheta in Christi persona loquitur: *Faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Certum est quoque, multo plures quam Euangelistæ scripserunt, Christo irrogatas esse contumelias. Nam Euangelistarum non fuit institutum, omnia scribere quæ ad compassionem deuotionem uel aliquid iuuissent audientium, sed historiam tradere communem, sine circumstantiarum varietate expressa.

Palmas dare
quid sit.
Facies per-
cussio quam
grauis poena
fuerit Chri-
sto.

Esaiæ 50.

Palma alicui quinam dentur in faciem, itemque iniuria & calumnia quo animo ferenda.

Admonemur faciem ac caput Christi non cedere. Interrogas qui cedant? Hi cedunt, qui Christi vicarijs, qui suis prelati (hi enim sunt in corpore Christi mystico capita, erga alia inferiora membra, hoc est, erga subditos suos) in faciem obstitunt, qui eos confutare atque ignominia moliuntur afficere, aut contumelijs exacerbare. Cuiusmodi sunt, qui absque reuerentia prelatos suos corripiunt, illis resistunt, obstrepunt: & in hoc gloriantur etiã eorum nonnulli, dicentes: Ego confutavi prelatum meum, ego illi silentium imposui, hoc & hoc modo expediui eum. Nesciebat quid mihi responderet. Ne verbum quidem vnum mihi dicere audebat. Quid miser dicis? Attende quid tibi psalmista dicat) *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Aduerte quid Dominus loquatur: *Quod vni, inquit, ex minimis meis fecistis, siue bonum siue malum, hoc mihi fecistis.* Hoc est, ita volo remunerare si bonum est, aut vindicare si malum, ac si mihi fecissetis. Si de minimis hoc dixit, quanto magis pro maioribus & superioribus nostris ab eodem nobis constitutis, intelligendum est, admonemurque ut illis obedientiam impendamus & reuerentiam? Ijs enim qui nobis prelati sunt Christus loquitur. *Qui vos au-*

Faciem ac
caput Chri-
sti mystice
cedentes
qui sint.

Psal. 52.

Matth. 25.

Luce 10.